

*ode - Aeneas - Virgili - Et Euterpe -*  
*litterarum - Poetarum - Prodigiorum -*

EPISTOLA  
AD  
VIRVM PRÆCELLENTISSIMVM ET AMPLISSIMVM  
DOMINVM  
M. ZACHAR. GOEZIVM  
ILLVSTRIS GYMNASII OSNABRUGENSIS RECTOREM  
OPTIME MERITVM  
*DE*  
*Nomo Friederici II. Imp.*



perscripta a  
M. DIEDER. ANDR. KELLERHAVS  
LIPSTADIENSI. VWESTPHALO.

*JENAE, PROELIO MULIERIBUS.*

Hist. Germ.  
A. 16916

*H. Germ. Hist. Imper. A. 101 (6)*



*Vir Præcellentissime,  
Patrone & Präceptor observanter  
colende.*



X quo sub Tuis auspiciis studia tractare ce-  
pi, affectu me complexus es singulari, ac in-  
formandis moribus, & aperienda ad veram  
eruditionem via, integritatem ac amorem  
infucatum satis significasti. Nulla oblivio-  
ne intermorietur hæc Tua pietas, sed quo-  
ad vixero memoria manebit eorum, per quos profeci. Pri-  
mus inter eos es Präceptor Optime, & continuum adhuc  
Tuum in me studium, pergis enim per literas me docere  
sæpius, novaque benivolentia & favoris exhibere pignora-  
Ut igitur aliquod mei erga Te cultus statuerem monumen-  
tum, sacrum Tibi volui numum, sicut doctissimi ita infor-  
tunatisimi inter eos, quos, Germania habuit Cæfares.  
Pervenit numus iste auspicato in manus Viri Præcellentissimi  
ac Reverendi Admodū Domini M. ANTONII THOENEN,  
Pastoris in Patria & Illustris Capit. Cappeld. gravissimi, Vi-  
trici mei optimi & in me piætissimi; qui cum aliis rario-  
ribus numis, & hunc argenteum auro contra habendum co-  
emitt. Cum autem plusquam paterno me prosequatur fa-  
vore, de sumtibus ad studia Academica gratiose non solum  
hactenus prospicit, sed & ipse me instruit ad meliora, soli-  
citus cumprimis ut solida eruditione imbuat animum;  
Numos igitur quos habuit rariores usui meo concesit,  
quo ipsius imitarer in hisce studiis, historia præsertim patriæ  
singularem solertiam, & otium si quod vacaret Acade-  
micum huic impenderem negotio. Argenteus est in-  
signis iste numus, & a FREDERICO II. ut conji-  
cio cusus, nam, ut taceam cetera, symbolum f. a. Roma

*caput mundi*, in bullis Friderici II. quæ supersunt, aureis cū pri-  
mis exprimitur (a) & quæ in numo & versu defunt supplētur:  
*regit orbis regna rotundi.* (b) Friderico igitur II. afferuimus nu-  
mum qui forte Ænobarbo tribui poterat, quod numerum  
distinguētem non haberet additum, & titulus hactenus u-  
trique communis. Verum, rarius eo ævo in numis signi-  
ficabant imperatores, Augusti nominis numerum, sicut nec  
in sigillis Friderici, quorum tamen amplior est epigraphe,  
expressum est quod sit inter Fridericos II. Hæc enim in or-  
bem adjecta plerumque inscriptio : *Frideri. Di gra Ro-*  
*manor. Rex & semp. Augustus & Rex Sicilie.* Cumque a titulo  
imperatorio, tanquam recepta initiali formula, diplomata  
communiter auspicentur Cancellarii, ante seculi XIII. tem-  
pora, inter tot, cognomines imperatores, in serie titulorum  
rarius expresserunt, quotus inter Ottones v. g. sit ille cuius  
diploma conscribant. Ne tamen sine die & consule incerta  
sit diplomatis fides, subsignantes illud, adscribent ut pluri-  
mum annum & indictionem, cum anno imperii, anno v. g.  
imperii Domini Imperatoris Ottonis secundi VII. Circa XIIII.  
demum saeculum, in titulo significabant an tertius vel quar-  
tus inter cognomines sit, ita tamen ut numerum augusti no-  
minis, vel in fronte, vel in fine diplomatis promiscue ex-  
primerent. (c) Inter plures enim Friderici II. chartas quas di-  
plomatū collectores passim exhibent, paucissimas inven-  
nies, cum hac initiali formula : *Fridericus secundus divina*,  
*favente clementia &c.* (d) Et tamen in eo nepos ab avo co-  
gnomini discretus, quod ille, ex Constantia matre Sicula,  
post patrem Henricum VI. se nominet *Regem Sicilie*, &  
propter nuptias cum Jole titulis addiderit *Rex Ierusa-*  
*lem.* (e) Propterea inquit Mutius, *Sicilie Reges, usque*  
*ad nostram memoriam titulum Hierosolymorum regni sibi vendi-*

*cant,*

(a) apud Mabillonum l. 2. de arte diplom. c. 16. §. 16. (b) Bu-  
chel. in notis ad VVilb. Hedam, de Episc. Ultraj. p. 220. (c) Mabill.  
l. c. lib. 2. c. 4. §. 6. (d) Vid. litera investitura data Ottoni de Lü-  
neburg super erectione ducatus Brunsvic. tom 3. Rer. Germ. M. homii  
p. 206. Goldast. Constit. Imper. tom. 1. p. 291. (e) Vid. dipl. cit. apud  
Meibom. l. c. quodque civitati Vindobonensi dedit 1237. apud Lam-  
beck. l. 2. de Biblio: b. Ces. Vind. p. 79.

cant, appellanturque Hierusalem Reges (f) Quod titulorum syrma cum numi spatum non caperet, solo Imperatoris titulo expresso, omissum est. Habitum indutus regali, folio insidet Fridericus noster, dextra gladium habet, sinistra globum cum cruce, caput coronatum est, adjecta ad latus finistrum stella. Quæ omnia majestatem indicant imperatori-  
am, sicut & ex adiecta id patet inscriptione:

FREDERI. IMP.

Quam varia fuerint hujus Imperatoris fata, ex temporum quibus vivebat iniuitate, & effreni hostium malitia dijudicari potest. Nunquam enim peius cum imperatoribus actum, quam circa hæc tempora: quibus Pontifices auctoritatem suam evexerant ad fastigium, in que eo se conservare omni modo studebant. (g) Ita tamen in utraque fortuna se gesit, ut summa cum prudentia ac fortitudine jura imperii ac majestatem tueretur. Studia cum primis literarum magni habuit, ut per earum cultum subverteret regnum papale, quod per tenebras & spissam barbariem creverat ad summa. Quicquid temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus, transire non patimur otiosum, sed totum in lectionis exercitatione gratuita libenter expendimus, ut animæ clarius vigeat instrumentum in acquisitione scientiæ, sine qua mortalium vita non regitur liberaliter. (h) Ita doctissimus Imperator in Epistola ad Magistros & Scholares Bononienses qua Aristotelis libros e Græco & Arabico suo jussu translatos ipsis obtulit. Paria habet idem Imperator, in literis quibus studii Neopolitani (i) privilegia firmat. Sicut & ex iis quam propensus fuerit in studia intelligi potest, quod scholas per Italiam instituerit illustres, (k) & exemplo avi (l) eximia studiofos quos ea artas scholares vocat,

X 3 do-

(f) German. Chronic. l. 20 p. 179. quo id fiat jure, alii disputent. Hispania Reges, cum titulo Regis Siciliae adhuc conjungunt Regis Hierusalem titulum; bid. Dn. D. Spener Part. Spec. Oper. Herald. c. 58 §. 23. (g) Verba sunt: Dn. D. Schuberti Praeceptoris ac Patroni mei Optimi. in Collegio MSCto ad Puffend. Germ. (h) apud Petr. de Vineis Cancell. Frider. II. l. 3. Epist. 67. (i) l. c. Epist XI. (k) Parabii, & Neapoli. de Vindobona Germaniae dubitat, P. Lambecius l. 2 Bibl. Cæf. c. 5. p. 82. (l) autb. Habita Cod. ne filius pro Patre.

donarit libertate. (m) In bellis quæ suscepit, ex nativæ  
quasi virtute manu strenuum & fortem se gesfit, futurus ex  
utroque Cæsar, perque hos gradus ibat ad summum virtutis  
fastigium ; In quo non potuit Papæ evitare insidias, revera  
enim, inquit ipse, *imperialis felicitas papali semper impugnatur  
invidia.* (n) Unde varia in eum conficta mendacia, & fri-  
volæ excogitatæ caufæ, (o) ob quas excommunicarent optimum  
Principem Pontifices. Horrenda est impietas cuius  
ipsum arguerunt, quod Mahumetismum profiteatur, & tres  
dixerit impostores, ita enim de calunnia conqueritur imperator : *Inservit falsus Christi vicarius fabulis suis, nos Christianæ fidei religionem recte non tolere ac dixisse tribus seductoribus mundum esse deceptum, quod absit de labiis nostris processisse.* (p) Præ innocentia tamen imperatoris, apud vulgum nimia superstitione captum, valuit nomen Ecclesiæ, & fulmen excommunicationis, unde cum varia fortuna & adversitatibus ad extrema usque colluctatus est Fridericus, cui nemo Germanici sangvinis Imperator doctior, nec infortunatus magis. IMP. Quibus successibus noſter ad diadema per-  
venerit, notius est, quam ut hic recenseatur prolixius. Hen-  
ricus pater imperium, a libera principum electione haec tenus pendens, inaudito conamine, in gente & domo sua volebat esse hereditarium. (q) Verum nullis artibus & promis-  
fis efficere potuit, ut abjicerent libertatem Proceres, & cal-  
lida Henrici exequerentur consilia. Unde quem consilia patris ad fastigium evehere non poterant, fatis ita ferenti-  
bus, post Philippum per procerum suffragia ad summam in orbe dignitatem nominatus est. A manu tandem Hono-  
rii, Romæ imperiali redimitus diademate ac solenni ritu con-  
secratus, titulum & autoritatem *Imperatoris* egregie sustinuit. Eo enim tempore, a Romano primario quippe Occi-  
dentis Episcopo, coronari sueverant Imperatores, sicut in

re-

(m) Conring. *Antiquit. Academ.* p. 102. seq. 148 seq. (n) Petr. de Vi-  
neis l. c. Ep. 31. (o) Ibid. *formula excommunicationis Innoc. IV. 6. De-  
cret. c. ad apostolicae.* (p) ap. P. de Vin. l. 1. Ep. 31. (q) Johannes Mo-  
nachus in *Chronico Belg.* p. m. 203.

regnis aliis boni omnis ergo ungere solent Reges suos, Episcopi. Cum autem ad afferendam sibi in summa capita enor-mem adeo potestatem , cuncta conquirerent pontifices , im-pudentissime professi sunt, quod per solam Pontificis conse-crationem , Rex Germanorum titulum & dignitatem im-perii de manu Ecclesiæ sumat. Ita enim iniquum sidus In-nocentius III. ex Petri cathedra quasi de plaustro loquitur: *Jus & auctoritas, examinandi personam electam in Regem, & pro-movendam ad imperium, ad nos pertinet, qui eum inungimus, consecramus, & coronamus.* (r) Obverterunt id quoque Fri-derico nostro egregio dignitatis imperatoriæ vindici, Ponti-fices, quod perverse utatur Ecclesiæ beneficio , indignus posthac regno & nomine imperatoris. Verum respondet noster : *Licet ad Pontificem de jure & more majorum consecra-tio nostra pertineat. ; non magis tamen ad eum depositio seu remo-tio pertinet, quam ad quoslibet regnum prælatos, qui Reges su-os prout assolent consecrant & inungunt.* (s) Ita non erube-scunt antistites Romani ex autoritate sedis Petri , & urbis quam occuparunt prærogativa , eminentem super omnes Reges & Principes dignitatem jactitare. Subesse arbitrio Pontificis omnem temporalem dignitatem, & ab ejus pen-dere placito , quicquid in orbe summum & magnificum est. Cum enim par Regum Germaniæ dignitatis fastigium æmu-laretur Alfonsus VII. Hispaniæ Rex, titulumque *Imperatoris* sibi sumeret , de consensu & consiliis id factum Pontificis, qui omni nisi culmen imperatoriæ dignitatis apud Germa-nos conabatur subvertere. Unde Alfonsi VII. Eugenio III. & Innocentio II. suffragantibus , coronati Imperatoris, ve-stigia sequuntur Sancius, Ferdinandus , Alfonsus VIII. & IX. (t) Hispaniæ Reges , titulo *Imperatoris totius Hispaniæ* arro-ganter nimium superbientes. Johannes Jacobus Chiffle-tius, Eques & Regius Archiatrorum Comes , titulum Im-pe-

(r) c. 6enerab. de elect. & electi potest. (s) Vinea l. c. Ep 3. conf. Nico-laus Cusanus Cardinalis ad vincula S. Petri l. 3 Concordantiae Cath. c. 4. p. m. 617. (t) extat ap Mabill l. c. p. 434. diploma Alfonsi IX quod ita subscripsit: *Ego Adelphus Dei gratiæ Hispaniæ Imperator.*

ratorium inter prærogativa regni Hispanici refert, multumque disputat, summo jure Hispanos sumisse sibi hunc titulum, utpote quibus Reges & Principes pareant, qui Cæsaribus præterea Romanis per Gothos quoram successores erant, ex justa Honorii Imp. concessione substituti sint. (v) Quæ num omne ferant punctum, non vacat ut nunc examinemus, ipse certe Mariana (x) accuratisimus Hispaniæ historicus, imprudenter tantos sibi sumisse spiritus, Reges Hispaniæ statuit, neque definire audet *num jure an injuria*, id fecerint. Quicquid horum sit, opposuerunt Germani masculine frontem arrogantiæ Hispanorum, sibique solis dignitatem & nomen Imperii vindicarunt; Mansit igitur supremum in orbe fastigium penes Romanorum Imperatorem, neque per hos conatus detractum quicquam. Id & fatentur Franciæ Proceres, respondentes ad consilia Gregorii IX. (quibus Fridericum nostrum de imperio turbare, & Robertum Artesiæ Comitem S. Ludovici Regis fratrem surrogare conabatur,) nolle se in tanta pericula se præcipitare, ut Fridericum, Magnum Imperatorem, tamque potentem Principem quo non est major impugnarent. (y) Insidet solio Imperator, regali & magnifico ornatus habitu; Quæ vestium cimelia communiter ornamenta vocantur *imperialia* & cum imperio derivantur in successorem. Cumque per turbas & discordias olim peterent sœpius imperium plures, ille credebatur ad clavum sedere penes quem erant regni insignia. Unde, morituri ornatum hunc per ultimam voluntatem legabant successuro, sicut Conradus Francus Henrico I. (z) & Otto IV. Friderico nostro (aa) regalia hæc symbola testamento reliquit. Nos a capite ordiemur, quod in numo nostro coronatum est. Corona cum sceptro sicut antiquissimis temporibus, regiæ, ita apud Germanos quoque dignitas

(v) *Vindiciis Hispan.* p. 100. seq. *Luminibus Prærogæt.* p. 369. (x) *Rer. Hisp.* l. 9. c 5. l. X. c 8. (y) *Matth. Paris. Hist. Angl.* ad A. 1239. (z) *VVidikindus Corbeiens.* l. 1. Ann. add. *Meibomius in notis* p. m. 676 (aa) *Sid. testamentum Ottonis IV.* quod exhibet *Meibomius in Apologia pro Ottone IV.* p. m. 148.

tatis summæ fuit insigne. De quo plura possent proferri, de vulgata illa præsertim triplici imperatoris coronatione, (bb) nisi limites Epistolæ me juberent ponere modum. In numis & sigillis Carolingorum plerumque tempore, capita redimita sunt ferta, quod gemineum fuisse, Conringius, (cc) laureum autem doctissimus opinatur Mabillonius. (dd) Ultimus tamen ex stirpe Caroli, Franciæ Regum Lotharius, (ee) acuminatam gerit coronam in sigillo, quo forte tempore & Germanici Imperatores in numis & sigillis suis coronas sumserunt. Forma autem coronæ imperialis differt ab aliis, (ff) sicut & imperii dignitas præ reliquis eminet regnis. Qualem dedit urbi Toletanæ Alfonsus Hispaniæ Imperator, in civitatis Imperialis tesseram, quamque scuto Hispanico quondam insertam fuisse, Sibmacherus tradit. (gg) Luitprandus (hh) Coronam Conradi Franci quam Henrico Aucipi tradidit, ita describit: *propriam coronam non auro, quo cujuscunque pene ordinis Principes pollent, verum gemmis pretiosissimis nonsolum ornatam, sed gravatam, sceptrum, & cuncta, quæ regalia sunt induimenta, in medium venire præcepit*; Proximus ante tempora Friderici est Gotefridus, de Viterbio, qui Cæsaris ius*ditionum*, quæ tunc erant imperialia, explicavit, ex quo de illis judicare possumus optime. Placet versus integros apponere, ut de figura & symbolo coronæ pateat melius, ita autem canit Gotefridus: (ii)

*Hoc diadema sonat, duplam conferre coronam,  
Quod veterem Romam, mundanaque climata donat.*

*Hoc quicunque tenet, summus in orbe sedet.  
Dupla corona manet, quia dum complectitur urbem,  
Continet & reliquum, fastu diadematis orbem,  
Sic facit esse suas, una corona duas.*

)() ( Non

(bb) *Vid. omnino Epist. Gregorii IX ad Fridr. II quam Epistolis Petri de Vinea præmisit Simon Schardius p. m. 75. (cc) in censure dilem Ludoviciani cœnobio Lindaviensi data: p. 72. (dd) p. 143. l. c. (ee) apud Mabill. p. 419. (ff) *sacr. Cerim. Rom. Eccl. lib. I. c. 5 sect. ult. quomodo ab aliis differat abunde describitur.* (gg) Spenerus t. c. l. I. c. 38. 9. 36. (hh) lib. 2. c. 7. (ii) Chronic. part. XIX.*

*Non loquor esse duas, numeri ratione sed actis,  
Urbis & orbis habet solium diadema subactum,  
Hæc duo continuans omnia Cæsar erat.*

Per allegoriam porro explicat Viterbiensis, cristam in fastigio coronæ, aurum, & gemmas: Quarum præcipue virtutes, fulgorem nimirum, ac duritiam per constantiam & gloriofam in magno imperatore honestatis cupidinem, interpretatur. Punctum ad sinistram aurem in typo nostro gemmam esse, puto, quæ ex corona defluit, sicut ex Cardinalium galero, ab utraque parte vittæ dependere solent. Extat sigillum Lotharii Saxonis apud Meibomium, (kk) in quo ab imperiali corona, ex fascia ad collum fere dependent gemmæ pretiosiores; Ægidius autem Gelenius SS. Theol. Licenciatus, & ad D. Andreæ apud Agrippinates Canonicus, se vidisse caput Frederici nostri, narrat, flore & liliis cinctum, in sigillo quod ita describit: (ll) *Infra diploma, ex sericis, rubei viridis & flavi colorum filis contextis, dependet sigillum magnum, rotundum, referens in solio Imperatoris togatum, dextra sceptrum, sinistra tenentem globum cruce insignitum, in capite gestantem coronam, a qua velut insula vittæ ab utraque parte DVO LILIA defluunt.* Mabillonius oculatior, Gelenio e bulla Friderici pro Cœnobio S. Apri Tullensi, effigiem exhibet imperatoris sedentis in throno, duobus liliis superne ornato, in dextra virgam, cruce insignitam, in sinistra globum cum cruce gestantis. (mm) Similem habet effigiem bulla pro Canonicis Ultrajectinensis, quam Buchelius exhibit ad Wilhelmum Hedam, (nn) Duo igitur aureæ sellæ lilia a tergo usque ad caput Imperatoris porrigi, credo, & erroris arguerem Gelenium qui, lilia de capite defluere, nobis perswasit, si decorum foret juveni de viris multum prædicti nominis, sentire quidvis, judicent de eo, qui sunt nasi emunctioris. Toga imperialis, in dextro humero fibula connectitur, a qua globuli preciosiores ad imum usque pectus defluunt; Habitus eo tempore regibus admodum usitata-

(kk) Tom. 3. Rer. Germ. p. 198. (ll) in Vita S. Engelberti Colonensis Archiepiscopi p. 114. (mm) l. c. l. 2. c. 16. §. 16. (nn) p. 220.

usitatus . sicut ex sigilis & numis id appetet fatis. Splendidum enim majestatis imperialis insigne erat, tempore jam Henrici I. cui Conradus per fratrem Everhardum lanceam, sacram , armillas aureas, cum clamyde & veterum gladio Regum , ac reliqua regalia misit indumenta. (oo) Dextra gladium tenet Fridericus noster summi imperii & majestatis symbolum ; Promiscue alias gladium aut Sceptrum dextræ Regum tribuunt antiquæ picturæ , quod nunc superne flore ornatur liliato (pp) nunc baculus est uno vel altero distinctus nodo. Quamvis Sceptrum a baculo regio sollicite discernat Mabillonius , in ceremonia quippe coronationis regiæ , non modo sceptrum regi porrigi , sed & baculum. (qq) In bulla aurea pro Canonicis Ultrajectinensis (rr) virgam, Fridericus cruce insignitam, dextra tenet , quod crucem Christi significare credo sacrum sacri Imperii insigne ; quod enim *crux ubi est lignum Domini, & lancea ubi clavus eius existit* , ante Imperatorem in processionibus solennibus deparentur Gregorius IX. memorat , Epistola ad Fridericum II. quæ quinque Imperii insignia , mystice sed contorte nimium interpretatur. (ss) Otto IV. (tt) Imp. virgam pariter duplici ornatam cruce manu gerit, quod & aliis solenne est regibus extra Germanos.

¶ Verum : Crux datur Imperio speciali jure ferenda

(uu) Quippe vicem Christi tenet hic ad regna tuenda  
Et gerit in terris signa colenda crucis.

Ex stipite crucis ad supremam trabem teretes cunei ramorum instar prominent , quasi scala sit , quo forte respexit Gotfridus (xx)

Crux est scala DEI , spes , via , vita reis ,  
Gac datur ascensus. &c.

) ( ) ( 2

In

(oo) *VVitikind. Corb. Ann. l. r. p. 636. Luitpr. l. 2. c. 7.* (pp) *Tale habet Lotharius III in Sigillo ap. Meib. l 3 Rer. Germ. p. 158. Ludovici pariter VI. VII. IIX. Reges Gallicæ apud Mabill. l. c. p. 430. & Carolus Calbus in egregie effigie , de quia infra. (qq) l. c. l. 2. c. c. 17. ex lirro sacrorum Menardi. ex Annalibus Bertin. apud Chesneum tom. 3. p. 244. a. (rr) l. c. p. 220. (ss) Ibid. supra (bb) (tt) Meibmonius l. c. (uu) Gotfridus Viterb. part. XLIX Chron. p. 531. (xx) i. c.*



In numero nostro Fridericus gladium habet. Acuminata, enim cuspis & manubrium, ensēm esse regium, quem dextra gerit, indicant. Scriptoribus alias gladius pro Sceptro usū venit, utrumque nempe dextra tenet, & est βασιλικόν π. Ita in solenni Wilhelmi comitis consecratione, Aquis peracta, Dux Saxoniæ Regis *Justitiarius* (Trithemicus *Ensiferum Regis* vocat) his verbis gladium Imperiale novo porrigebat regi: *Accipe Sceptrum regni & rebelles severa correctione afflige, omnesque benevolos in tranquilla pace gubernā.* (yy) In numero tamen insignium imperii gladius a sceptro discretus, quid enim, utrumque per sympolum significet, Gotefridus explicat. (zz) Superest in manu sinistra globus cum cruce, quæ cum detrita essent in numero florem aliquando putavi, regiæ quoque dignitatis διπλού. Sceptra enim & diademata multo non solum flore coronari sed & rosas aut lilia regum ornare dextras, notissimum est. In sigillis certe regum Franciæ, a L. Rotberto ad Ludovicum usque IX. nihil frequentius est, quam ut manus regia aureo coruscet lilio. (aaa) Neque putas, quod propter gentis tesseram, hoc flore soli Galliæ delectentur Reges, Imperatores quoque Germani, & Augustæ Imperatrices, cum hiante flore, passim exhibentur, in numis & sigillis. (bbb) Quo pertinet aurea rosa, illustre sedis Apostolicæ donum, quam in ramis Palmarum, multa ceremonia Pontifex consecrat. (ccc) Quæ licet videantur probare conjecturam, quod florem manus sinistra Imperator teneat, animatum tamen mutavi, postquam globum imperiale cum cruce numum intimius considerans perspexi. Pallam sive pomum globum hunc vocatum fuisse ex Viterbiensi (ddd) discimus:

*Aureum ille globus pomum vel palla vocatur.*

*Regis*

(yy) Magister Emundus in *Magni Chron. Belgico*. p. 245. (zz) l. c. (aaa) Mabillon. l. c. lib. V. Tab. 39 seqq. (bbb) Schilterus de L. E. Germ. l. 3. e. 9. *Sigillum Mariae Augustæ Ottonis IV.* quo dextra lily, sinistra globum tenet est ap. Meibom. l. c. (ccc) *Sacr. Cærim.* l. 1. & ex eo, Mabill. l. c. l. 2. c. 18 p. 145. (ddd) l. c.

Regiæ autem dignitatis fuisse ðmionov, ex eo manifestum est  
est, quod in sigillis Franciæ Regum Hugo cum primis Ca-  
petus, qui que ex ejus domo sequuntur, altera manum justi-  
tiae quam vocant, vel lily, altera globum exhibeant. (eee)  
Venditat hoc auri pomum, pro peculiari nota Imperii Marcus  
Antonius Dominicus JC. ne Hispanis prærogativam in di-  
gnitate imperiali concederet, paresque titulos Gallis suis  
assereret. (fff) Verum qui pomum manu gerit non sta-  
tim est Imperator; Richardus quippe, Henricus & Edouar-  
dus Angliæ Reges, nec non Renatus Siciliæ Rex pomum fini-  
stra manu præferunt, in sigillis quæ Olivarius Vreedius edidit.  
(ggg) Pomum erat, inquit, Chifletus, (hhh) Symbolum abundantiae  
& fertilitatis, quia pro omni fructuum genere solebat usurpari. Id  
præterea in pomo imperiali peculiare est, quod cruce su-  
perne ornetur, quo significatur, quod in hoc signo flore-  
at, vincat, & auspiciatum sit sacrum Imperium. Prima e-  
nim vestigia globi crucigeri in egregio Constantini M. in-  
venimus nummo (iii) in quo milles globum tenet monogram-  
mate Christi insignitum, cum epigraphe: *Pietas æterna*.  
Ita militis Christiani munia, & optimi Cæsaris auspicia e-  
rant in pietate, qua respiciebat ad æterna. Sequentes Chri-  
stiani nominis Imperatores, inferebant labaro hanc divinæ  
fidei & boni omnis tesseram Constantino visam. In nu-  
mo tandem Honorii ob partos de Gothis triumphos, Vi-  
ctoria pingitur gradiens, & manus non amplius victorio-  
lam, sed globum cum cruce præfert. (kkk) Quod imitantur in  
numis Junior Theodosius, Placid. Valentinianus, Anthe-  
mius, Zeno, Anastasius ad Justinum usque Thracem. In-  
digitarunt eo, quod stemma crucis certissima fidelibus eri-  
git trophæa, subque signo Christi læto militent successu.  
(lll) Justinianus postea Imperator (mmm) ipse globum cum  
cruce

(eee) Mabill. l. c. p. 241. (fff) in Affertore Gallico p. 249. apud Chifflet  
Lumin. Prærog. p. 374. (ggg) in Geneal. Flandriae. apud Chiffletum in  
Lumin. Prærog. p. 369. (hhh) Chift l. c. (iii) ap. Laur. Beger. Thes. Bran-  
denb. p. 805 (kkk) Beger. l. c. p. 838. (lll) ap. Begerum. p. 840; segn.  
(mmm) Beger. l. c. 858.

cruce manu tenet, in numis non solum, sed & illustri statua, quam fuidas (nnn) ita describit: Εστι την ειπε  
σικόνα ὅπῃ κίονθ̄ ἵππῳ τῇ μὲν δέξιῃ χερὶ Φέρει  
σφαιραν εμπεπλυόθ̄ τὸν ταυρὸν τῷ αὐτῇ, τασσομαίνοιθ̄ ὡς  
Δράκοντες εἰς τὸν ταυρὸν πίστεως, τῆς γῆς εγκεφαλίς γέγονε σφαιρ-  
εα μὲν τὸν τὸν γῆν, πίστις τὸν ταυρόν. Ex quibus ut opinior,  
fatis appetit, quare Imperatores Græci pomum hoc manu  
præferant, & unde sacri imperii apud Germanos postea  
factum fuerit insigne. Varie tamen effecta hæc pictura,  
temporumque successu mutata; ex codice Bibliorum,  
quem Vivianus Abbas monasterii S. Martini Turonensis  
Carolo Calvo dono dedit, & nunc in Bibliotheca Colber-  
tina asservatur, Stephanus Balluzius Carolum Calvum nobis  
depingit, tenentem manu globum aureum cuius, anteriori par-  
te impressum est cordis simulacrum, cum cruce infixā. (ooo) Be-  
nictus tandem VIII. Episcopus Romanus ex sacro quasi  
impulsu, figuram globi ita formavit, sicut eam Radulphus  
Glaber describit: Anno Dominicae incarnationis millesimo decimo  
tercio, licet insigne imperiale diversis figuratum fuisset speciebus,  
Venerabili Pape Benedicto Sedis Apostolice, visum est admodum  
intellectuali specie; Qui idem insigne præcepit fabricari quasi aure-  
um pomum, atque circumdari per quadrum pretiosissimis qui-  
busque gemmis, ac desuper auream crucem inseri; erat autem  
instar speciei hujus mundanae molis, quæ videlicet in quadam ro-  
tunditate circumstere perhibetur; Ut dum siquidem illud respiceret,  
Princeps terreni imperii, foret ei documentum, non aliter debere  
imperare vel militare in mundo, quam ut dignum haberetur vivi-  
ficæ crucis tueri vexillo. In ipso etiam diversarum gemmarum  
decoramine, videlicet Imperii culmen plurimarum virtutum specie-  
bus exornari oportet. (ppp) Locum adscripti integrum, quia  
egregius est, & præter globi figuram ejus fibolum explicat;  
Audiamus post hunc, ex aula cæseris interpretem Gottfri-  
dum.

(nnn) Voce Justinianus. (ooo) in notis ad Franc. Capitularia p. 1377.

(ppp) l. i. in fin. apud Bdrenium ad a. 1013. n. V.

dum, (qqq) qui id mysterii subesse putat , quod Imperator  
orbis totius Dominus sit :

*Significat mundum , forma perhibere rotundum ,  
Intus habet plenum , terrestri pondere fundum*

*Quem tenet arcanum , palla ferenda manu.*

*Taliter hunc mundum , gestat manus una rotundum  
Regius includit sic omnia climata pugnus*

*Taliter omne quod est regia pompa tenet.*

In quibusdam numis globus seu orbis duplex conspicitur ,  
quod ad ea referendum tempora arbitror , quibus Imperium  
occidentis in oriente extendebant imperatores nostri , aut  
saltem reservandæ prætensionis gratia . Præfulget adhuc in  
numo nostro stella , auspiciati signum ominis . In numis  
medio hoc ævo rarius quidem apparent in Græcorum ac  
Romanorum vero monetis nihil frequentius stellis . Deco-  
ris ergo , passim in sigillis addito puto solem cum luna , ita  
Ottonem IV . Cum uxore Maria , inter fulgida sidera nobis ex-  
hibet M̄ciboum̄ius . (...) Unde ad alterum capitis latus  
detritam conjicio in numo nostro lunam vel simile quid , aut  
quia Friderici nostri facta toto orbe celebrata erant , stellis  
adumbrabitur fama , quod fulgor imperialis nominis  
tam in Oriente , quam occidente , resplendeat . Non putave-  
rim tum eo significari , quod majestas imperialis exiguo si-  
cut luna micet lumine , & splendorem omnem a sole Eccle-  
siæ mutuetur . Sicut Gregorius IX ex turbis & dolis cum  
Friderico nostro satis famosus , Iuris Canonici operi porten-  
tosa & monstrosa hæc inseri jussit verba : *Duo præesse mundo  
luminaria magna , solem atque Lunam , solis loco Papam esse . Cæ-  
sarem vero Lunæ . (ttt)* Verum enormous adeo Romani Epi-  
scopi fastum , explicabo pluribus , & pro viribus retundam ,  
exercitatione peculiari , quam in symbolum numi nostri:  
*Roma caput mundi* , meditor . Crevit enim ultra limites Episto-  
la , ut explicationem forte prolixam subjicere non liceat . An-

tequam

(qqq) l.c. conf. inaugratio VVilhelmi Comitis Hollandiae in Magno Chron.  
Bellico l.c. (rrr) Schilterus l.c. (sss) tom. 3. Rer. Germ. p 158. (ttt)  
cap. 6. solicita X. de major. ex obed.

tequam vero colophonem imponam, verbavenerabilis Domini  
Antonini de numo quodam Friderici II. scorteo subjiciam (vvv)  
*Deficiente pecunia Imperatori fieri fecit monetam de corio, insignitam*  
*sua imagine & subscriptione, quam aureum valere edictum ponens*  
*in exercitu suo, quod quicunque presentaret talem monetam the-*  
*saurario suo, acciperet pro ea monetam auream quæ dicitur Au-*  
*gustanus, sculptura erat ex uno latere facies imperatoris ex alio aqui-*  
*la: Hæc sunt, Præceptor optime, quæ circa numum observavi.*  
Suffenus mihi videor, quod coram peritissimo in hac arte,  
Magistro ego, vix primas edocitus lineas, de numo disse-  
ram. Verum submitto limatissimæ Tuæ censuræ, Vir Præcellen-  
tissime, rudem hanc opellam, ut corrigas, emendes, quæ ere  
videbuntur, & ex tuo cultu ornatiora sunt mea studia. Va-  
le, Præceptor & Patrone observanter colende, & me amare  
meaque studiafovere perge. Jenæ IX. ante Kl. April. Anni  
MDCCI.

(666) certa parte historiali fol. 45r.

